MISSALE ZAGRABIENSE

Diözese Agram, 3. Viertel 15. Jh. Seite 66v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et ne despexeris deprecationem meam intende in me et exaudi me. Sec.

Munus quod tibi domine nostre devotionis offerimus tu salutare nobis perfice sacramentum. Co.

Quis dabit ex sion salutare israel cum averterit dominus captivitatem plebis sue exultabit iacob et letabitur israel. P⁹co.

Da quesumus omnipotens et misericors deus: ut que ore contingimus pura mente capiamus. Sup populum.

Subveniat nobis misericordia tua: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Feria tercia.

Ego clamavi quoniam exaudisti me deus inclina aurem tuam et exaudi verba mea custodi me domine ut pupillam oculi sub umbra alarum tuarum protege me. Ps. Exaudi domine iusticiam meam intende deprecationem meam.

Exaudi nos omnipotens. Oro. et misericors deus: et continentie salutaris propicius nobis dona concede. Lectio libri regum.

In diebus illis. Mulier quedam clamabat ad heliseum prophetam dicens. Servus tuus vir meus mortuus est; et tu nosti quia servus tuus fuit timens deum. Et ecce creditor venit: ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui heliseus dixit. Quid vis ut faciam tibi? Dic michi quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea: nisi parum olei quo ungar. Cui ait. Vade et pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca: et ingredere et claude hostium cum intrinsecus fueris tu et filii tui, et mitte inde in omnia vasa hec, et cum plena fuerint tolles. Ivit itaque mulier et clausit hostium super se et super filios suos. Illi offerebant vasa: et illa infundebat. Cumque plena fuissent vasa: dixit